

Band IV., Nr. 1135, Seite 200-201

Papst Innozenz IV. erlaubt auf Fürsprache des edeln Walter Hako dem Kloster Oberstenfeld, die Kirche in Eberstadt unter näher angegebenen Bestimmungen sich einzuverleiben.

Lyon, 1249. Dezember 23.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, dilectis in Christo filiabus, . . . abbatisse et conventui monasterii de Oberstenuelt, ordinis sancti Augustini, Spirensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut dilectus filius nobilis vir Walterus dictus Haco¹ in nostra proposuit presentia constitutus, progenitores ipsius monasterium vestrum dotaverint de bonis propriis intuitu pietatis et ibidem elegerint sepulturam ac per hoc ipsum toto cordis affectu desideret in domino prosperari, nos obtentu eiusdem nobilis nobis pro utilitate ipsius monasterii cum instantia supplicantis, et quia premi dicitur onere paupertatis, volentes vobis facere gratiam specialem, ecclesiam de Eberstat, cui cura imminet animarum, Herbipolensis diocesis, in qua ius patronatus habetis, convertendi ac retinendi in proprios usus reservata eiusdem vicario de ipsius proventibus congrua portione, qui diocesano loci de spiritualibus valeat respondere, ac intrandi auctoritate propria possessionem eiusdem ecclesie, quamprimum eam vacare contigerit, plenam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Non obstante si vobis specialiter vel in predicta diocesi generaliter nos vel legati nostri super aliquorum provisionibus direxerimus scripta nostra. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

 Datum Lugduni, X. kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno septimo.

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An rot-gelber Seidenschnur die gewöhnliche Bleibulle von Papst Innozenz IV. Auf der Plica rechts: *p. a. s.*; auf dem Rücken: *Iohannes Baptista*.

¹Von der Familie der Hacken von Hoheneck.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 480 U 131

Überlieferung und Textkritik:

Original. Inkorporationsurkunde von 1336 März 5: StA Ludwigsburg B 480 U 139.

Regesten:

Schmidt: Papsturkunden, Bd. 1, S. 137, Nr. 302.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lyon

Aussteller:

Innozenz IV.; Papst

Ortsindex:

Eberstadt Wohnplatz (1906)
 Eberstadt, HN
 Hoheneck Wohnplatz (1019)
 Hoheneck, Ludwigsburg, LB
 Lyon, Dep. Rhône, Frankreich
 Oberstenfeld Wohnplatz (1078)
 Oberstenfeld, LB
 Speyer, SP
 Würzburg, WÜ